

1183 a choro et a labore manuum vacuas habebat, a quo studio si quis eum avocaret, dicebat sibi fieri non minorem iniuriam, quam fit famelico, cum auferetur ab eo panis. Lectioni divine continuaverat meditationem sanctam, ex quibus edificabatur in timore Dei et consolatione spiritus sancti replebatur. Ex his profecerat in theologia supra multos, qui magistri videbantur in litteratura et multum sapiebat in divina pagina, quamvis eius sapientia destituta eloquentia verbis affluens non posset aperire se ipsam. Dicebat de ipso sepius

inbegriffen? dominus Cyprianus bonae memoriae Wratyzlaviensis episcopus:¹

O si esset, inquit, dominus Godscaleus ita eloquens sicut est sapiens, o si eloquentia suffragaretur eius sapientie!

Notunt omnes, qui sermones eius vel legerunt vel audierunt, quam fundatus fuerit, subtilis et acutus in tractatibus divinatorum eloquiorum, plenus ~~sed~~ minime planus, ita ut quandoque in Steinvelt, quandoque in Stragoo cum sermonem edidisset, auditores eius dicerent: Iste homo locutus est Deo et sibi, nos eum non intelleximus. Proinde q. 1. Cor. 14. 28

sicut beatus Gregorius inter fialam et cyathum distinguit assignans fialam esse exuberantem doctrinam, cyathum vero parvam et interclusam,² sic iste, de quo sermo est, fuit in domo Domini vas sanctum, vas mundum, vas plenum sapientia, qui et si non habuit fialam exuberantis eloquentie, ~~sed~~ non caruit cyatho salubris doctrine. Verbum

1) T. obau T.

2) Greg. Hom. in Ev. I. 6 (Migne 76, 1048): Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos vero parva atque angusta designatur scientia. Apul. Nat. XX, 2 (no. 137).